CANIDIA,

hoc est,

Venefica,

Fetura Cacodæmonis spurcissimi

ex

Creaturis præpotentiæ divinæ pulcerrimis nobilissimisq;

facta

spurcissimarum omnium spurcissima;

non peniculo pigmentario, sed Vivo Vocis Charactere

Ex Lyrici Venusini Epodis V. & XVII adumbrata,

inq; Theatro

Gymnasii Vratislaviensium Elisabetani publico

ad contemplandum

XVI Cal. Xbr.

per nonnullos Gymnasii ejusdem Alumnos proponenda,

curante

JOHANNE GEBHARDO

Anno cIↄ Iↄc LI.

WRATISLAVIÆ,
Typis BAUMANNIANIS,
per GOTTFRIDUM GRÜNDERUM.

Lectori benivolo

Salutem, Observantiam, Amorem.



Uod *Veneficiorum* inter homines *usus* & *incantamenta Magica* non hornò demum aut annò fuerint excogitata; sed post Orbem penè conditum satosq; à DEO homines simul confestim enata, & hinc indè, per theatrum hoc, quà patet, universum à Diabolo, infelici horum Parente, disseminata, probare est vel ipsâ Pandectarum celestissimarum autoritate, qui hujus generis scelerum inter antiquissima Orbis Conditi vitia haut obscurè meminerunt. Etiamsi namq; non ausim cum Benedicto Pererio asserere, (de Magia l.1.c.13.) Magiæ usum salvâ adhuc & integra illibataq; humanæ gentis innocentiâ in ipso statim Paradiso videri cæpisse, cum scilicet Spiritus Cacodæmon sive formâ amictus serpentinâ, sive occultè per serpentem, quo usus, genuinum, Parentem nostram primam adortus ad pomi vetiti esum usumq; invitaret; adfirmare tamen habeo, satis antiquam profectò esse illam Magorum Ægyptiorum artem & fascinationem Satanicam, cujus tam sacrorum quàm profanorum Historicorum Coryphæus Moyses in suis meminit Originibus. (c.40.41.) Eam igitur *Ægyptii ab Avo* suo, filio Noachi impurissimo *Chamo* [si quis fidem Traditionum non habet sublestam] acceperunt; quem cum Gentilitatis *Zoroastre*, Magorum Ethnicorum Antesignano, faciunt eundem. De hoc indè Augustinus (l.21 de C.D.c.14.) *Solum*, inquit, *Zoroastrem quando natus est, ferunt risisse, nec ei boni aliquid monstrosus ille risus portendit: nam Magicarum artium fuisse perhibetur inventor: quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt, à Nino quippè Assyriorum Rege, cum esset ipse Rex Bactrianorum bello superatus est.* Utut igitur Zoroastres iste sive Bactrianorum, veluti præfatus jam Patrum Phosphorus & Diodorus Siculus, sive Persarum Rex, ut Plinius & Diogenes Laërtius censuêre, artem hanc nobilitaverit, principem tamen eum Artis hujus propudiosæ fuisse Autorem, Vero haut est consentaneum. Etenim Myriotechnites ille vix potuisset facere,

ut

ut per ipsorum sexdecim seculorum decursionem nulla horum scelerum ante terrarum cataclysmum sparsisset semina, nulla jecisset fundamenta. Hoc sanè nobis est tam certum, quàm quod certissimum, ex illo Eluvionis tempore incrementa eam cæpisse mirifica, ut Cancellarius ille DEI seculo jam tum suo, hoc est, octavo demum ab Orbe fluctibus submerso, vel ipsa *octo Satanicæ* hujus *nequitiæ* dinumeret *genera*. (Deut. 18.10.11.) Inter hos autem damnatæ Scientiæ Antistites meritissimo ipsorum principem attribuit locum sedemq; primam iis, quos *Kosemim* sive *Divinos* appellitat, videlicet cum præmodùm arcanâ cum Magistello suo communicatione divinent, atq; hinc cæteris Zabolicæ hujus perversitatis Architectis multò astutiores sint, longeq; callidiores: utpotè qui sagaci potius rerum conjecturâ, haut secus ac ipsa prudentiæ quædam quasi corcula, vel ipso etiam Θεοπνεύςῳ Numinis instinctu, quàm ullá ratione reprobâ & damnandâ res futuras videantur prænunciare. Ut hinc & Vocem eandem in ipsis Verbi celitus ad nos delati myrotheciis pro Viro cordato, & cui acetum in pectore, offendamus usurpatam. Quemadmodum vero priores illi instar Samii cujusdam Lucumonis qualibet in re divinâ, humanâ, acuti videntur, & veluti Serpens quidam Epidaurius, perspicaces; sicq; verissimè Catones, ut Sentius Augurinus Epigrammate in Plinium (ap. eundem l.4.Ep.27.) de hoc ipso C. Plinio Cæcilio Secundo judicavit: ita quos in alterâ constituit Classe *Meonenim* dictos, Sapientiæ Astronomicæ quidam quasi creduntur Trismegisti, qui, ex mente *R. Akira*, vel dies atq; tempora supputant *Hodiè* inquientes, *pulcrum est egredi, cras bonum negotiari*; vel Corporum celestium virtutes superstitiosè rimantur atq; hinc de singulis, quæ vitam in hoc sublunari transigunt globo Astronomiæ suæ Canone reddere satagunt rationem, dies certos æquè bonorum ac malorum, tristium lætorumvè constituentes. Ast ut *Astronomia scientia meritissimo suo nobilis habetur & gloriosa si clientelam suam intra moderationis metas cohibeat: ita si hanc licentiore vanitate excedit, non tam Philosophiæ species, quàm impietatis audit decipula.* Tales itaq; Pseudo-Mathematici olim quoq; erant *Augures, Sacerdotes* apud Romanos *amplissimi*, & quorum collegium vel

maximè

maximè erat ſolemne. Hos deindè Signiferos, quos ex Dircæo Vate haut invenuſtè diceres Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαντ' ἀκόναν (Pind. Iſthm. 5. Ep. 2.) i.e. Naxiam inter alios lapides æris domitricem cotem, excipiunt *Menacheſim* ſive Magi, qui & ipſi ab Orcivo ſuo Didaſcalo Divinationes varias edocti, certis figuris characteribusq; additâ inſuper Verborum quorundam ſuperſtitioſâ demurmuratione artem olim ſuam exercuerunt. Quorum tanta quondam ſentina fuit & colluvies, ut, qui diverſisſimo huic Satanicæ Superſtitionis generi erant addicti, verè Λέρνη κακῶν, ipſa verò Ars Hydra illa ex Typhaone & Echidna prognata, inq; Herculis odium à Junone enutrita, potuerit nuncupari. Nimirum quia

Non hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,

ac hæc artium peſtilentisſimarum abysſus ſcelus ſubindè ex ſcelere protulit. Etenim Magiæ hujus Suboles fuit tum *Aëromantia*, quæ Spectrorum in aëre ſe offerentium monitu augurabatur futura: tum *Alphitomantia*, quæ è farinâ vaticinabatur: tum *Axinomantia* ſive Divinatio per ſecurim vel aſciam: tum *Belomantia*, cum misſæ in pharetram ſagittæ nominibus ſingulorum prius inſcriptis commiſcerentur, ut quod prius oppidum foret expugnandum, indè fieret palàm. Sic ejusdem matris feracisſimæ proles quoq; fuit *Botanomantia*, cujus germana quaſi ſoror *Sycomantia*, quarum illa è ſalviæ, hæc ex ficuum foliis ſub dio collocatis, divinavit. His accesſit & *Coſcinomantia*, è cribro vaticinans; & *Ceromantia*, quæ nomini fertur Turcico etiamnum esſe perfamiliaris, & *Cryſtallomantia*, è cryſtallis fabrefactis atq; expolitis, perindè ut *Catoptromantia*, è nitidis terſisq; ſpeculis; & *Dactylomantia*, quali Lydorum Rex Gyges uſus perhibetur, ita ut, ſimul palam annuli converteret in palmam, videretur ab homine nemine, ipſe verò contueretur quicquid vellet. Pari quoq; ratione huc ſpectat *Ichthyomantia*, quæ ex piſcibus prædixit futura; & *Hydromantia*, plurimis diverſisſimisq; exercita modis & *Lecanomantia*, quâ in pelvim aquis plenam certæ impoſitæ ſunt lamnæ, gemmæ item characteribus certis ſignatæ, additis pro more verbis, quibus Dæmonium advocatum exili voce inſtar ſibili ex aquis emer-

gentis

gentis ad quæsita respondit. Nec minus huc referenda *Pyromantia*, s. Ignispicium, & *Spondylomantia*, quæ ex vertebrarum in humano Corpore inspectione futura prænunciavit: item *Tephramantia*, sive Vaticinium è Cinere factum: & plures longè hujus furfuris technæ, ut vanissimæ fraudulentissimæq;; ita nec minus pestilentes atq; perniciosæ.

Sic neq; Commatis melioris sunt *Mecassephim* sive Præstigiatores & Fascinatores è quorum grege Satanici illi Pharaonis, qui meris egerunt incantationibus oculorumq; illusionibus. Atq; hos quatuor quidem Genii Orciniani abortûs ille mundi nascentis Historicus Paragrapho recensuit decimo; quibus sequenti undecimo tot subjicit alios, eodem tamen in ludo doctos, καὶ τῆς αὐτῆς κεραμείας ejusdemq; figlinæ Mirmillones, improbitate quidem & malitiâ adeò inter se geminos, — — uti non

Compositus melius cum Bitho Bacchius.

Prima igitur horum factio vocatur *Choberim* sive Veneficorum, qui vel tempestates artibus suis excitare, vel jumenta, aut homines quoq; ipsos fascinationibus suis lædere præsumunt. Quanquam, nè quid dissimulem, Stridonensis ille Episcopus Hieronymus præcedaneæ Classis Satanicos hac ipsâ ornat Nomenclaturâ, dúm, *Et maleficos*, inquit, *quos vel Veneficos possumus appellare, vel Dæmonum phantasmatibus servientes; qui Hebraicè dicuntur Cassephim.* At cum Nauson hic cum Naucrate planè componatur, itaq; omnes quoq; hi sub unam, quod dicitur, Myconum jure deferuntur.

Ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον.

Ejusdem dein Crobyli jugum trahere idem æterni DEI Legislator ait eos, qui consulunt *Obh*, hoc est, qui vel *Spiritum* πάρεδρον sive *familiarem* certis inclusum catastis secum ferunt, vel eundem, quoties opus, accersunt, & inprimis, qui Gentilitatis olim Oracula iverunt consultum, quæ si non omnia, pleraq; certè ad hoc *Pythiorum* genus & *Phœbadum muliercularum* referenda. Ea verò nomenclatione Utris [quem Vox Hebræorum antè laudata indigitat] gavisa procul dubio sunt, vel quod hominis Dæmone Pythio inflati venter ad instar utris turgesceret, & immundus ille Spiritus exindè

 Oracu-

Oracula sua pronunciaret, ita ut vocis sonus inde fieret oppidò depressus, haut aliter ac si è spelæo quodam subterraneo adscenderet; vel quod ipse Dæmon Pythonicus obscurè & velut ex utre loqueretur. Oracula verò talismodi Satan non clàm & secretò inter Gentes à vero Israëlis Deo alienas edidit, sed ea palàm furoribusq; manifestis, quanquam discrepantibus tot fermè modis, quot horum recensentur, hinc indè celebravit. Undè *Oraculum ad Dodonam*, amplissimam vetustissimamq; Molossidis in Epiro Urbem quercubus vocalibus celebre: undè *Jovis Hammonis* in extimo Libyæ apud Garamantas sinu, in quo idolum pelle amictum hircinâ, hircinoq; capite cultum; ambæ sedes Oraculorum præ reliquis vetustissimorum. Undè & cultu, religione, opibus atq; donariis præ ceteris nobile *Pythium* Delphis, in ipso Orbis, ut credebatur, umbilico: undè *Apollinis Didymæi* sive *Branchidarum*, quod opibus Pythio haut fertur concessisse. Unde prætereà *Lycium Patarei* atq; *Delium* simul ac

- - - - - - Hibernam Lyciam Xanthiq; fluenta
Deseruit, Delum & maternam invisit Apollo. [Æn. 4. 143.]

Undè *Amphiarai* Vatis Oraculum in Atticâ religiosissimè semper à Cultoribus suis habitum: unde geminum *Trophonii*, alterum quidem *Thebis*, alterum in ejusdem Bœotiæ regione Labadiâ. Undè deniq; innumera fermè alia, putà *Thracium Patris Liberi*, *Asiaticum Martis*, *Ægyptiacum Serapidis*, undè *Curetum* sive *Corybantum Cybelæ Dindymenes*, atq; alia gentium aliarum, quæ vel fucosâ Veritatis specie mala teterrima invexerunt, vel cultûs idololatricos, & commentitiam de diis pluribus persuasionem stabilierunt, vel sceleratissima quæq; facinora, fœdas libidines, rapinas, cædes, Tauricas aras, aut alia his non meliora à Cultoribus suis exegerunt. His itaq; prætereà ille Dei de Proximo Arbiter subjicit *Jiddeonim* sive *Ariolos*, qui non à se conquisitis, sed sibi fortuitò objectis rebus sunt vaticinati: quales seculo hoc nostro *Chiromantii somniorumq; Conjectores*; in Paganismo olim *Extispices* atq; *Oscines*, qui vel ab extis conspectis, vel ex alitis volatu, vel è cantu sinistro oscinis, vel è tripudiis etiam sollistimis augurabantur. Atq; hunc Amphictyonum scilicet consessum Autor tandem Pentateuchi concludit Capaneis contubernio hoc dignis, *Necromanticis* putâ: qui sacrificiis solenni ritu institutis Manes se demortuorum, diris actos, ab inferis sibi persuadebant reducere. Undè & *Psychagogi*, & *Psychopompæi*; loca verò, ubi defunctorum animæ credebantur prodire *Necyomantéa* vel *Psychopompæa* audierunt. Quorum profectò non multò pauciora ipsis observata sunt Oraculis. Necyomantéum quippe hujusmodi fuit *Cimmerium*, ad lacum Campaniæ Avernum, quod Ulysses Homericus Tiresiam consulturus adiit: Tale *Thesprotium*, quod ad Aorrhum Orpheus revocando suam Eurydicen nobilitavit: tale *Heracleum* ex Laconis Pausaniæ historia cognitum: tale quoq; *Tarentinum* ad Tiberis ripas: tale insuper fingitur à Marone *Cumanum*, quod Æneas consuluit: tale apud Lucanum *Erichthûs*,

quæ

quæ Sexto Pompejo pugnæ Pharsalicæ denunciavit exitum: tale deniq; βδέλυγμα, quod primum fortè meruisset locum, mulieris in *Endor*, à primo Israëliticæ gentis Rege Saul consultum. Horum itaq; singulorum si quis præstigias tot tamq; diversas ex omnibus Antiquitatis eruditæ ruderibus, & traduce Avorum vetustissimorum sermone, variisq; famæ item rumoribus velit colligere,

- - - Libyci velit æquoris idem
Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.

Quin immò si quis Classis duntaxat illius, quam *Veneficorum Strigum atq; Lamiarum* hic Propheta non minus ac Dux Israëlis sanctissimus in Ordine describit quinto, & qualem nobis sub personâ Canidiæ Lyricus noster in geminis V. & ultima proponit Epodis, cunctas colligere fascinationes fatagat, næ is pariter unâ eademq; operâ

καὶ τὴν λίβυσσαν ἐξαριθμήσει κόνιν.

Quoniam verò rumor non ἀδέσποτος, sed idem creberrimus certissimusq; iterum hactenus ad nos iterumq; detulit quod in ipsa eheu! *Silesiâ* quoq; nostra in proclivi sit lolii hujus haut exiguam metere messem, qui eapropter & flammis infelicibus hincindè ustulati largam de se Gregalibusq; suis in omnibus fermè Circulis, balneis, conviviis disserendi præbuerunt materiam; quæ cum aliqua Actus publici συζητήσει non indigna mihi fuerit visa, inde nonnullis Gymnasii nostri Ephebis *Celeustes* quidam atq; *Autor* extiti, ut in hac ipsa materiâ, solo tamen Fidicinis nostri [cujus Epodæ V. & XVII. paucis ante septimanis publicè à me fuerunt pertractatæ] ductu, viriculas suas experirentur, eandemq; Declamatiunculis καδδύναμιν delineatam Auditorio sisterent. Vos igitur, *Viri Magnifici, Nobilissimi, Strenui, Amplissimi, Perquam Reverendi, Excellentissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Doctissimi, Humanissimi, Domini, Fautores, Patroni, Amici observandi*, uno mecum ore omnes veniunt oratum, ut si per negotia alia fieri pote, Exercitiis his ipsorum palæstricis interesse nè dedignemini: grandem non à nobis modò, sed ipsis quoq; illis Theologis, quorum Filii in scenam hic prodibunt, inituri gratiam. Etenim si pagana Romanorum veterum pietas frugum suarum proventus antè non degustavit, quàm harum primitias Mystis suis obtulisset libandas, quanto potius nos, qui ejurato Ethnicæ Superstitionis cultu verum illum vivumq; DEUM deveneramur, in tam fervidò Zelo eosdem imitamur. Consideranti proindè hæc in novum Ordinem, & Gymnasii quidem nostri primum mihi recepto in mentem venit, pietatis quoq; meæ fore, ut à domo Domini auspicatus quas *Venerabili Mystarum nostrorum Clero* studiorum non possim dicare primitias, easdem horum ego delibem Filiis: cum scilibet & ἡ φύσις, ex sententiâ Synesii, φιλότεκνον, & Liberis olim ex Offerumentis licitum prolibare. P. P. XVII. Cal. Xbr. clɔ Iɔc LI.

Sca-

Sciagraphia tum Dicendorum, tum Dicturorum.

I. Prologus, Johannes, R. Martini Hofmanni *Pastoris in Hartendorff dignissimi Filius, pauca quædam, An sint Venefici? præfatus audiendi captabit benivolentiam.*

II. Medii exhibebunt

1. *Epodas Horatii geminas, sub Personâ*
   1. *Poëtæ* Johannes Christophorus R. Christophori Thummisii *P. in agro* Schebitz *fidelissimi.*
   2. *Pueri Prætextati* Jonas R. Johannis Gebaueri *in pago* Massel *P. olim b. m.*
   3. *Canidiæ* Johannes R. Johannis Richteri *P. Ecclesiæ Strisanæ & Sponsbergenæ probatissimi.*
2. *Satanicorum Maleficorum*
   1. *Nomina*
      1. *Masculorum* Johannes Cornelius *Excell. Dn. D.* Ananiæ VVeberi *P. nostri devenerandi.*
      2. *Feminarum,* Christianus τȢ μακαρίτȢ *M.* Joachimi Fleischeri *P. antehac nostri optimè emeriti.*
   2. Rem *ipsam, quoad*
      1. *Causas* Valentinus *Pl. R. M.* Georgii Seidelii *Præpositi hic Neapolitani bene merentissimi.*
      2. *Effecta mirabilia ductu Epodorum tractanda. An scilicet*
         1. *Verbis & Characteribus, signis & Ceremoniis quicquam efficiant?* Johannes Perr. *M.* Johannis Frimelii *Ecclesiastæ nostri præclarè merentis.*
         2. *Herbis aliisq; rebus aliquid præstent?* Georgius R. Georgii Dubelii *Diaconi olim Milicensis b. m.*
         3. *Philtrum possint parare?* Johannes R. *M.* Salomonis Steyeri *ad 11000 Virginum P. fidissimi.*
         4. *Mortuos ab Inferis excitent?* Valentinus R. Melchioris Sommeri *P. olim* in Groß- vnd Wenigwaldit τȢ νῦν ἐν ἁγίοις.
         5. *Cereas imagines moveant?* Abrahamus R. Abrahami Bogæsii *P. quondam* in Schampf *b. m.*
3. *Epodas eadem* Germanicâ *paraphrasi versas repetent, sub Personis*
   1. *Poëtæ Paraphrastes* Martinus R. *M.* Johannis Hannkii *ad D. Barbaræ P. vigilantissimi.*
   2. *Prætextati* Christoph. Gottlieb *Excell. Dn. D.* Christophori Schlegelii *P. in Hungaria Leutschoviensis multò laudatissimi.*
   3. *Canidiæ* Johannes R. Johannis Janischii *in agro Jeschkittel P. meritissimi.*

III. Epilogus *Auditorio gratias acturus* VVolgangus R. Danielis Silberi *b. m. olim in pago* Berbisdorff *F.*